

nam naturam, ad actualem fruitionem, possessionem & exercitium collata deceamus, an sic in sententiam & confessionem nostram verbo DEI consentaneam sint corde toto & pedibus ituri, non credimus, Allocutorem futurum sponsorem. Quin potius veremur, ne idem semper sint professuri, quod BEZA pronunciavit: *Nos unionem personalem naturarum in persona Christi nequaquam negamus, sed constanter asserimus.* Negamus autem ex ea Communicationem Idiomatum, seu proprietatum divinitatis in humana natura sequi: quod locum habere non potest, nisi humanitas in Deitatem mutetur, quod Eutychianum & ab Ecclesia damnatum est, p. 233. Quod hic aperte BEZA profundit, dum sub nota Eutychianismi nostram communicacionem idiomatum damnat, illud & alii pestore profitentur, etsi verbis ludant, & nobis tum communicationem, tum unionem concedant, dum communicationem per ipsam unionem seu conjunctionem, & non plus, describunt. Deceptorie ab illis dicunt, mediante divina natura humanae esse vere ac realiter communicatas divinas proprietates. Nihil enim aliud intelligitur, quam divinam naturam esse unitam humanae naturae, & quia divina natura non est sine suis proprietatibus, eatenus etiam unitas esse proprietates divinae naturae humanae: non quod humana natura particeps facta sit divinarum proprietatum per veram ac realem communicationem, prout nostrae asserunt Ecclesiae: sed quod unita divina natura, unitae etiam sint proprietates, (quae realiter idem sunt cum divina Λόγος natura) sive alia ab ipsa unione diversa communicatione sine reali divinae omnipotentiae & omniscientiae participatione ab humana natura facta. CALOVIVS de Persona Christi p. 296. ubi in antecedentibus BERGIORVM & aliorum sententias recensuerat, quibus docebant, proprietates divinas humanae carni vere & realiter communicatas, hoc est, VNITAS, sine ulteriori participatione, seque consensuros & passuros, ut ita loquamur, si nihil aliud velimus per communicationem, quam modum unionis, quatenus habeat caro hypostasin cum proprietatibus

sibi